



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Crux proficientium, hoc est tribulationum & afflictionum, quam sit amicis
Dei aliquando grauis: cur item Deus suos electos hic multifariam afflictet.
Can. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

enim variis adhuc impugnatur, allicitur atque trahitur desiderijs noxijs, & peccatorum tum imagines tum delectationes se ingerunt vel nolenti. Si quidem cogitationes voluptuosae occurrunt, quibus resistere aut potius contemnendo fugare, licet operae precium sit, animae tamen infirmæ pugna hæc crux videtur esse & labor. Verum tamen si mori vultis carni & mundo, mihi que viuere non solum frequens assidue, sed continua propemodum exigitur pugna, vbi nequaquam retrocedere licet, sed penetrare oportet. Nec parum est molestum persequi quod delectat. Estigitur crux in hoc confictu & labor: & hoc mea nonnunquam dispensatione agitur, vt non minor se continendi à vitijs inueniatur difficultas & amaritudo in homine incipiente, quam fuit olim delinquendi voluptas. As nequaquam deserendum est propositum vobis certamen, sed occurrendum potius & aspiciendum est in me, hoc est in autorem fidei & consummatorem, qui propositum mihi gaudio, sustinui crucem. Leuandum est ò filia cor, & orandum vt veniat auxilium tibi à Domino, Certa esto, quia tametsi pugnam atque agonem tuam aspiciens, aliquantisper quasi distimulauero, non deseram te in tempore opportuno: sed cum clamaueris ad me, exaudiam, & cum inuocaueris, dicam assum, faciamque vt assidue pugnandi, calcatis tandem vitijs, crux hæc tua vertatur tibi in gaudium.

Heb. 12

Psalm. 90

Crux proficientium, hoc est, tribulationum & afflictionum quam sit amicis Dei aliquando grauis: cur item Deus suos electos hic multifariam afflictet.

CÁNON. IX.

EST deinde filia crux quæ à me imponitur: hanc intelligere debes aduersitatem quamcunque tam exteruam quam internam, quæ molestius vos torquet, quo non cognoscitis, aut non attenditis eum qui hanc vobis imponit. Nam in corde repugnantes, murmuratis aduersus proximos vestros, quicquid patimini illis imputando, cū reuera ipsa immortalis voluntas vestra, amorque vestri proprius torqueant vos: ad cuius extinctionem, simulque vt superbia & duritia cordis vestri contusa emolliatur, diuina mea dispensatione agitur vt humiliemini aduersitatibus. Hoc autem bonitatis mex est immensæ, quod cæcutientibus vobis perditionis viam occludo, salutis aperio. O si videres anima, meam bonitatem erga te, abyssalemque dilectionem, quomodo profundissimo nec inuestigabili sapientiæ mex consilio super te vigilo, quærens & procurans felicitatem tuam, quia ad maiora & perfectiora te semper licet nescientem, cupio prouehere, idque semper paterno amantissimoque corde, nihilo secius dum mitto flagella, quam si gratissima tibi mittere munerera. Quare sapiens ac beata fores, si tu quoque ea dilectione de benignissima manu mea tribulationum munera susceperis, quæ ipse ego tibi donavi. Quid miraris si capere dolet, si fames, sitis, frigus aut æstus corripit, si languet pectus aut stomachus, si homines derident, si fallunt amici, si damna & aduersitates, egestas aut alia quouis necessitas præmat, quando ne minimum quidem quod esse potest molestum tibi, citra diuinam dispensationem meam ac prouidentiam potest occurrere quando potius ab æterno id prouisum, sicque ordinatum est à me, vt hoc momento, hac mensura, ita, & non aliter haberes. Nemini mandavi impiè agere, nemini præcepti sum in te malitiam exercere: sed hoc ab æterno volui, vt hoc tempore tu hæc patereris. Quamobrem ex paterno amore (quippe cū pati sit tibi proficiu) non impedivi hæc aduersitatem, quæ impedire si vellem, potuisssem.

Quidnam potissimum quemque eruciet.

Tribulationes à quo imminantur.

Eccle. 15

Vnde.

Vndecunque igitur tibi patiendum occurrat, etiam si tua id negligentia admiffum fit, vt tribulationem aut etiam in seruitio meo impedimentum spirituale incideris, quatenus ex parte tua ibi fuerit delictum, dole ac poenite: ac incommodi, doloris ac molestia quicquid comitatur aut inde nascitur, tanquam de manu mea tibi impositum accipe: & nihil fecius pro eo quod diuinum meum consiliū (quod cuncta in bonum conuertantur) circa te impletur, gaude & gratias age: Quare enim ea quæ creauit, ita condidi putas, vt contrarietatibus singula permixta compugnarent, nisi vt aduersa vobis occurrentia, vos ad me (in quo solo pax est & tranquillitas) compellerent, vobisque patientiæ fructum atque coronam fabricarent? Elementa, bestias, astra, morbos & quicquid sub sole est inspice, & inuenies aduersantia, & sine pace vniuersa. Ibi ergo pacem, vbi vera pax est, hoc est, in me, perquire. Hic vero crucem amplectere, quam si vltro de manu patris amantissimi susceperis; etiam crux ipsa in pace te constituet. Nullus est enim artifex, qui suum opus tam accurate, tamque graphice expolire ac venustare satagit, quantum ego elimare & exornare hominem contendo, idque variis tribulationum modis, dum ad perfectum perduxero decorem, quo mihi placeat maximè.

Aduersa homini cur Deus creauit.

Crucem quamquam quisque ferre, naturam suam discrete affligere, obedientiaæque iugum quam lubentèr ferre debeat, cunctisque aliis exercitiis anteferre.

CANON X.

Obseruandum est tamen o filia, cum dicerem cuius crucem portandam, non ab re, nec absque consilio fuisse vt adderem, suam. Neque quamlibet crucem assumendam omnibus volui, sed eam, quam ipse pono humeris cuiusque ferendam. Aliorum crux non est tua crux, nec tua aliorum. Proinde in consulte faciunt nonnulli, cum aliorum legunt aut vident abstinentias & afflictiones vltro assumptas, aut à me data illis occasione per meam prouidentiam toleratas, mox nec suæ fragilitatis mensuram, nec mensuræ terminum ac modum considerantes, volunt quælibet imitari, quasi non sufficiant aut viliora sint quæ ego longe maiori fenore illis ferenda dederam. In quo quidem imbecillem naturam premunt, ac opprimunt. Vnde fit vt tandem nec ad hanc, quam voluntas propria intemperato feruore, temereque assumpserat, nec ad illam quam prouidentia meæ gratia illis imposuerat, eorum vires sufficiant: sed vtrobique cogantur cedere, neutri quæant satisfacere. Fit etiam quod summopere fuerat cauendum, vt bonis cæptis bonum non possunt dare finem, nec quo mea illos vocatio trahebat, vt pote capitis aut virium infirmitate præpediti, possint sequi. Nullum ergo opus, nullum exercitium, nullam deuotionem anteferas oportet obedientia, cui (siue per hominem, siue per prouidentia meæ curam ac dispensationem mea voluntas innotescat) semper auscultare, semper obtemperare, semper te debes credere. Quicquid enim ex propria voluntate, proprio amore, propria electione, proprio consilio, proprio iudicio, propria æstimatione quantalibet alioqui præeminentia emicet, nascitur, semper minus ac vilius est illo quod ex pura abnegatione atque relictione sui ipsius mihi siue agendo, siue patiendo offertur.

Vt quidam suam naturam inconsulte destruant.

Obedientia nullum vel opus vel exercitium antefertendum.

Esto igitur prudens filia, & prospice, si tentatio aliquando grauis super te venire

XXX

permissa